



*gb. 80*

*Gd. 74*

7 8

EXERCITATIO  
DE  
DVCIBVS ET  
COMITIBVS IMPE-  
RII GERMANICI,

Quam  
Deo annuente,

PRAESIDE  
Viro Clarissimo, Excellentissimo, atq;  
Experientissimo,  
HERMANNO CONRINGIO  
PHILOS. AC MEDICINÆ D.  
HIVISQUE PROFESSORE  
PUBLICO,  
Præceptore ac Fautore meo pluri-  
mum observando.

Publicè disputandam propono  
d. v. July.

GEORGIVS ADAMVS Struve/  
MAGDEBVRG.

• 6 ) o ( 90 •

HELMESTADI,  
Typis HENNINGI MULLERI.  
Anno d<sup>o</sup>c<sup>o</sup> Ic<sup>o</sup> XLIII.





B. C. D.

D

# DVCIBVS ET COMITIBVS IMPERII GERMANICL

## Thesis I.



Ntiquis Germaniæ tem-  
poribus Ducum officium atque  
dignitatem bellicam fuisse do-  
cet nos Iulius Cæsar L. 6. de bell.  
Gall. de Germanis ita scribens:  
Cum bellum Civitas aut illatum de-  
fendit aut infert, magistratus qui ei  
bello præsint, ut vita necisq. habeant  
potestatem, diliguntur. Cui jun-  
gendus C. Cornelius Tacitus: Reges, inquiens, ex nobi-  
litate, Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus infinita aut  
libera potestas: & Duces exemplo potius, quam imperio, se  
prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præfunt.

c. 7. de mor. Germ.

II. Licet vero id, quod d. l. statim subjicit Cæsar  
in pace Germanis nullum communem esse magistratum, de o-  
mnibus verum non sit: siquidem ex jam allegatis Taciti  
verbis constat, præter paucissimos, quibus unus regiè  
imperavit (uti de Sujonibus notat Tacitus de mor. Germ.  
l. 44.) fuisse etiam populos, qui sibi Regem vel Princi-  
pem

pem ex nobilitate sumserunt & sub ejus vixerunt imperio, non tamen absoluto, sed ita, ut majestas penes populum maneret, quod patet ex eodem Tacito dicente, Regem in concilio audiri autoritate suadendi magis quam imperandi. Et de his dici potest idem, quod Aristoteles alicubi dicit, priscis temporibus eundem populi eundemq; exercitus fuisse Dicum. s. Pol. 5.

III. Plerique tamen populi ejusmodi communem magistratum pacis tempore & simul perpetuum quasi belli Ducem (uti de Lacedæmonum Regibus loquitur Aristot. s. Pol. 14.) non habuerunt: unde Tacitus L. II. Annal. c. 44. scribit: Marobodum Regis nomen invisum apud populares; Arminium pro libertate pugnantem favor habebat. Cum enim Germani libertatis famâ Græcis juxta ac Latinis monumentis maximè celebrentur non potuit non ipsis merè regium imperium esse invisum, democratica autem reip. administratio gratissima, ut constat ex I. Pol. 4.

IV. Hi itaque populi bellum suscepturni omnino necesse habuerunt unum aliquem, respectu habitu ad bellicam virtutem eligere totique exercitui praescire, quem proculdubio Heertog vel Heerzog dixere, vid. Phil. Cluver. L. 1. ant. Germ. c. 46. Exemplum invenire licet apud Tacitum L. 4. Histor. c. 15. in Brinione Caninestate, quippe cum Civilis Batavus rebellionem in Romanos Batavis suis persuasisset, tractis in belli societatem Caninefatibus ac Frisis, Brinio, stolidæ audacie Caninefas, claritate natualium insignis, cuius pater multa hostilia annus, Caianarum expeditionum ludibrium impunè spreverat, igitur ipse rebellis familie nomine placuit, impositusq; scuto moro gentis & sustinentium humeris vibratus Dux deligitur totius scilicet exercitus, qui ex Batavis, Caninefatibus ac Frisis

siis constabat. Ritum, quem in præficiendo Duce adhibuerunt, discimus ex proximè allatis verbis, deligebatur nim. Dux à multitudine in Concilio; delectus scuto imponebatur, atque in sublimè sustinentium humeris elevabatur, inque gyrum circumlatus Dux belli decreti salutabatur: quem eundem morem etiam in Regum constitutione à Germanis, ut & à Romanis militibus Imp. declarantibus, adhibitum esse testibus confirmat. Cluverius d. c. 46.

V. Potestatem illorum Ducum quod attinet, in ea definiendâ discrepant Iulius Cæsar & Tacitus: ille potestatem vita & necis ipsis adscribit; hic vero allegatis th. i. verbis hæc subjicit: ceterum neq; animadvertere, neq; vineire neque verbèrare quidem nisi sacerdotibus permisum: non quasi in pñnam, nec duci iussu, sed velut Deo imperante. Verùm cum Tacito res Germanicæ magis perspectæ fuerint, potior ei meritò fides habenda; præsertim cum non verisimile sit ejusmodi temporario Duci puls Germanos tribuisse, quam perpetuò belli Duci sive Regi: cuius quæ fuerit potestas ipse docet Cæsar L. v. de bell. Gall. ubi refert orationem Ambiorigis Eburonum diuidiæ partis Regis, in quâ habetur: *id quod fecerit de op-  
pugnatione castrorum non iudicio aut voluntate suâ fecisse sed co-  
actu civitatis: suag; esse ejusmodi imperia, ut non minus haberet  
iuris in se multitudine, quam ipse in multitudinem.* Neque tam-  
en hinc colligendum omnino nihil potestatis fuisse  
Ducibus: patendum enim utique erat ipsorum impera-  
tis, licet ipsis in inobedientes animadvertere non potu-  
erint, nec soli de re alicujus momenti statuere. Vnde le-  
gimus apud Tacitum. L. 2. Annal. c. 45. Inguimerum  
cum manu clientum ad Marobodium perfugisse non a-  
liam ob causam, quam quia fratri filio iuveni (Arminio Duci)

patruus senex parere deditabatur. At verò finito bello his.  
Ducibus nullam competitissime potestarem satis apparet  
eosdem tamen inter nobiliores relatos & magno in ho-  
nore fuisse quis dubitet?

V I. Cæterum cum non solum necessarium sit ci-  
vitati, si velit tueri libertatem, ut in eâ sint qui bella ge-  
rant, sed etiam quam maximè necessarium sit, ut sint,  
qui jus dicant, docente Aristotele 4. Pol. 4. Hinc quoque  
à Germanis non tantum bellicus magistratus constitu-  
tus, sed & electi ex nobilitate qui iura per pagos vicos-  
que redderent, quos ab antiquissimis temporibus Gra-  
ven (quæ vox judicem significat, gloss. spec. Sax. L. 3. art. 33.)  
Ein Graff bedeutet nach altem Sachsischen Deutschen ein  
Richter / darumb haben diesin Nahmen viel unterschieden  
Richter) dictos sequior atas nomine in Imperio Romano  
post Constantium usitato Comites; Cæsar & Tacitus  
Principes appellant. Ita enim ille L. vi. de bell. Gali. in  
pace nullus est communis magistratus, sed Principes regionum  
atque pagorum inter suos jus dicunt controversiasq; minuantur.  
Hujus verbasunt: Eliguntur in ijsdem concilii & Principes,  
qui juraper pagos vicosq; reddunt. c. 12. de mor. Germ. Item  
c. 11. De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus  
omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium  
est, apud Principes præratentur. De ijsdem Idem c. 13. aite  
in signis nobilitas aut magna patrum merita Principis dignatio-  
nem & adolescentulis assignant. Ex quibus monumentis  
apparet, à quibus & ex quibus electi & quod eorum fue-  
rit officium & quæ potestas tum respectu totius reip.  
tum respectu vicorum vel pagorum, cui juris dicendi  
gratiâ præfecti erant.

VII. Respectu totius reip. nobilium illarum fa-  
miliarem (der Gräben) autoritas ferè in duobus consi-  
stebat,

stebat, 1. quod haberent potestatem, ut soli de minoribus rebus consultarent. 2. quod possent de majoribus rebus ~~negavant~~ sive live ~~negavant~~, quā de re Aist. 4. Pol. 14. & 15. Respectu verò pagi & vici, cui præterat Princeps, competebat ipsi Iurisdictio, mixtum & merum imperium (ut cum jure Romano loquamur) ita tamen ut quidam ex plebe delecti assessores jungerentur. Testatur hoc disertè Tacitus d. c. 12. Centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul & autoritas ad sunt. Ingenuos autem hos Comites seu assessores fuisse ex eodem Taciti libro colligere est, dū dicit: Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat ijs gentibus, qua regnantur. Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendunt. Apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt. c. 25. Dicti illi Assessores, quos Tacitus Comites vocat, Germanis jam olim fortè aut post Schepen / Schöppen / Schöpßen.

IIX. Hic Germaniæ status & administrandæ reip. ratio adeoque & Ducum, Principum, Comitum (ut quidem his nominibus Tacitur utitur) conditio & potestas apud Germanos Cis-Rhenanos mansit usque dum à Romanis vici, in provincias redacti ijsque heriles magistratus præfecti sunt. Ita enim Hottomannus c. 3. Franco-Gall. Tertia Provincialium servitus erat, ut ne legibus suis patriis uterentur, scđ magistratus à Pop. Rom. cum imperio & securibus mitterentur. Sic apud Tacitum iv. Histor. c. ss. legimus ab Imp. Vitellio ripæ Rheni præfectum fuisse Iuliuni Tutorem. Suetonius in Domitiano c. 6. bellum civile motum scribit à L. Antonio superioris Germaniæ Præside.

IX. Sciendum verò hic, apud Romanos Ducum Comitumque nomen non eandem semper significacionem

nem habuisse. Ducas quidem appellatio ei primum tributa, qui exercitum ducebat; posteà appellati Duces, qui provincijs præsenter præsertim limitaneis, quorum officium fuit præesse rei militari istis in ditionibus, vid. Onuphrius Panvinius L. 3. *Comm. de Imp. Rom.* p. 887. Guido Pancirolus in not. *Imp. part. 1. cap. 139.* & Idem *theſ. var. lett. L. 1. c. 5.* Id quod etiam obtinuit tempore Iustiniani, sicut apparet ex Rescripto ejus ad Belisarium, quod habetur in L. 2. *C. de offic. pref. prat.* Ulterius deinde Ducum potestas non ad res militares solùm restricta, sed & ad juris dicendi potestatem extensa. Comites autem initio apud Romanos nominabantur, qui socij sive adjuncti alicujus erant: sic Papinianus confessores judicium *comites* vocat in L. 4. *D. de off. Assess.* ut & Macer in L. 5. *D. ad L. Iul. repet.* Qui ergo in contubernium Imperatoriæ Majestatis adsciti (uti adscivisse optimos quoq; de senatu Adriani scribit Spartianus) etiam *Comites* appellati sunt, quorum operâ & consilijs in bello & pace Impp. usi. Cum deinde Constantinus M. plurimis ministerijs aulicis, nec non provincijs partim ut militibus præsenter, partim ut ius dicerent, quosdam præficeret, eis modi Comitibus ad istas præfecturas adhibitis, nomen ipsis Comitum mansit, & dignitas Comitiva dicta. Hinc passim occurrit mentio Comitis sacrarum largitionum, Comitis rerum privatarum, Comitis Archiatrorum, Vid. *Cassiodor.* L. 6. var. c. 7. 8. 18. Comitivæ Syracusanæ, Neapolitanæ, Vid. Idem *app. poster.* L. 6. *add.* & L. 7.

X. Superatâ itaque à Romanis Germaniâ Cis-Rhenanâ, eam in plures provincias distribuerunt, ijsq; vel Duces, vel Comites, vel Duces & Comites præfecerunt. Ita legimus Ducum Germaniz primæ, Ducum Moguri-

Moguntiacensem, Comitem Argentoratensem, Ducem  
Sequanicæ, Ducem Rhætiæ primæ & secundæ, Ducem  
Belgicæ secundæ &c. vid. Notit. Imp. & in eam Panciro.  
part. 2. cap. 75. & seqq. Lehman. L. 1. chron. Spir. c. 9. Am-  
mianus Marcellinus L. 27. ab init. mentionem facit Ca-  
riettonis comitis per utramque Germaniam: & sèpius  
Idem suâ in historiâ comites nominat, quos Romani  
constituèr.

XI. Apud Trans-Rhenanos Germanos diutiùs  
mansit antiqua reip. facies: verùm Francis omnia sibi  
subjicientibus & illa mutata est. Certè apud Saxones ve-  
terem reip. administrationem ad Francorum tempora  
durâsse diserte docet V Vitichindus L. 1. verba ejus sunt:  
A tribus etiam Principibus totius gentis Ducatus administra-  
batur certis terminis exercitus congregandi potestate contentis,  
quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in orientales sc. po-  
pulos, Angarios atq. V Vestalos. Si autem universale bellum in-  
grueret, forte eligitur, cui omnes obediere oportuit, ad admini-  
strandum imminens bellum. Quo peracto, aequo jure ac lege pro-  
priâ contentus potestate unusquisque vivebat. Hæc ille. Vnde  
obiter discere est, quām fabulosa sint illa, quæ vulgo  
narrantur de VVitechindi regiâ in omnes Saxones po-  
testate: quanquam illa etiam hinc possint refelli, quod  
nullius Regis Saxonici in historiâ Caroli Magni fiat men-  
tio, & V Vitichindus solis Angrivarijs dicatur præfuisse.  
Cæterum Franci, morem Romanorum secuti, omnes ter-  
ras in provinciæ formam redegerunt, & præcavendæ de-  
fensionis, ut & defensionis ab hostibus, nec non com-  
modioris administrationis gratiâ Duces, i.e. summos gu-  
bernatores nonnulli earum, præfecerunt, quibus inter-  
dum Comites adjuncti, vel etiam Comiribus provincias  
sine Ducibus regendas concrediderunt. Confirmat hæc,

B

quæ

quæ diximus, Beatus Rhenanus L. II. rer. Germ: In hoc, inquiens, Romanos imitati sunt Franci. Nam illi Provincia- rum rectores Duces appellabant, id quod ex libro magistratum Romanorum satis liquet: unde formula Ducatus Rhetiarum apud Cassiodorum in Varis. Deligebant autem ducem ex nobili familiâ. Sic Boiaris Agilolfingorum antiquagens ducem Duces dedit, ex quâ VVelphones prodijſe suspicor. Hoc autem privilegium habebat ea familia à priscis Francorum Regibus, ut si quis fidus regno prudensq; ex eâdem progenitus compertus fuisset, non aliunde quisquam aſciceretur in Ducem. Ergo primam dignationem sub Francis in Alemanniâ habebat Dux, proximam Comites. Similiter Vadianus L. I. de colleg. Monast. in Germ. vet. Franci Reges, dicit, Regnum sumum Ducum maximè & Comitum operâ moderabantur, qui in illâ quidem atate non suam seu propriam sed publicam regni ditionem administrabant.

XI. Duces igitur quod attinet, constat ex iam adductis Rhenani verbis, eos ex nobili familiâ optimè q̄s de patriâ meritâ à Rege & Proceribus electos, ita tamen ut filius dignus parentis munere non facile præteritus sit. Dignitatem hanc summam fuisse, non tamen aliam quâm alicujus magistratus, Vadiani verba docent: provinciarum videlicet, quas gubernabant, plenum dominium apud Regem & populum mansit, ipsi solam administrationem & jurisdictionem quoad ecclesiasticas & civiles causas habebant, ut videre est ex legibus administrationi Duciis Bajoariæ prescriptis, quæ exstant apud Aventin. L. III. annal. & Lehman. chron. Spir. L. 2. c. 16. Vnde Idem Vadianus cit. loc. Illâ atque, inquit, Duces & Comites non sui juris, sed Regum atq; Imperatorum officiarj veluti atq; ministri erant. Fuit autem & horum Ducum, necessitate exigente, militia præesse. Sic enim in LL. Alemannorum cap. 35. dicitur: dum Dux utilitatem Re-

gis potest facere, i. e., exercitum gubernare, &c.

XII. Sub his Ducibus aliquando erant Comites,  
inferiores judices, qui in civitatibus ac pagis provinci-  
arum & in Ecclesiasticis & civilibus jus dicebant. Leg.  
Lehman. L.2.c.21.22.23. Atq; Comites etiam belli præsi-  
des erant, ut constat ex Paulo Diacono L.5.c.14. dicente:  
*Is (Alahis) dum Dux esset in Tridentinā civitate cum comite  
Baoariorum, quem illi Gravionem dicunt, qui Bauzanum & re-  
liqua castellaregebat, confixit, cumq; mirificè superavit.*

XIII. Quamvis autem expressâ lege, teste Lehman-  
no L.2.c.16., cautum fuerit, ut, si quis Dux de provinciâ illâ,  
quam Rex ordinaverit tam andax aut contumax, aut levitate  
stimulatus seu protervus & elatus vel superbis atq; rebellis fue-  
rit, qui decretum regis contemnerit, donato dignitatâ ipsius Du-  
catu careat, insuper spe superna contemplationis sciat se esse con-  
demnatum & viam salutis amittat: successu tamen tempo-  
ris autoritate & potentia Ducum crescente nonnulli  
storum Reges suos sprevêre, eosque tanquam superio-  
res agnoscere noluerunt. Quod prudenter perspiciens  
Carolus M. duos Francici regni tum maximos Ducatus  
Bajoaricum & Aquitanicum sustulit, provincijs illis in-  
ter plurimos Comites distributis: magno regiae potesta-  
tis bono. Testatur hoc de Bajoarico Eginhardus in vita  
Caroli his verbis: *Thassilo Dux Bavaria ad Regem evocatus,  
nec redire permisus, neg. provincie, quam tenebat, ulterius pra-  
esse, sed Comitibus ad regendum commissa est. Eodem modo  
& alios Ducatus in plures Comitatûs transmutavit: vid.  
Lehman. L.2.c.16.* Vnde sub imperio stirpis Carolinæ in  
historiâ Francica provinciarum gubernatores Comites  
seu Graviones plerumq; appellantur, raro Duces, & li-  
cet fortè ab historicorum aliquo quis Dux dicatur, idem  
ejusdem provinciæ ab alio Comes vocatur.

XIV. Fuit vero tempestate Francorum, praesertim reteare Caroli M. & sequenti, duplex magistratus, alius Ecclesiasticus, quem gerebant Episcopi circa sacra occupati; alias secularis, isque vel status & ordinarius judicium, vel extra ordinem Legatorum. Illi dicebantur *Graviones*, quia tum Latinum nomen ex more Romanæ ~~erit p.~~ acceperant Comitum; Duces si quis fuere comitum ~~p. e~~ testate usi sunt. Potestate autem magnâ hi fuere praediti, vicariâ tamen tantum, non propria, consistebat ea in jure dicendi, & si necessitas efflagitaret, in ducendo cives in aciem. Pidem dictis faciunt quæ in capitulis Caroli & Ludovici I r. app. ab Ansegiso collectis habentur L. 2. c. 25: *In Vesontio quæ est diaœsis Bernoini Archiepiscopi Heiminus Episc. & Monogoldus Comes. In Magoniam, quæ est diaœsis Heistulsi Archiep. idem Heistulphus Episcopus & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiep. & Ermundus Comes.* Et. Spestant hue, quæ scribit Marquardus Frechenus in comment. de Lupoduno p. 12: Erat tum tempore (Pipini Carolique avo) Francorum ditione totaq. Germania vetus in pagos tributa, singulisq. pagis, quibus unus Comes præpositus, sua villa: inter quas præcipua Comitis domicilio cedebat, in quæ sedem & aulam suam (quam Saalam ipsi vocabant, ) tribunalq. & auditorium ( quod Mallum ilis ) haberet, ubi more majorum ius diceret. &c.

XV. Officium horum Comitum pater ex ijs quæ ex diplomate quodam Caroli M. adducit Henricus Meibomius in vindicijs Billinganis: *Quapropter in illa parte Saxonie (Vestfalia) Trutmanum virum iustum ibidem Comitem ordinamus ut resident in curte ad campos, in mello ( iudicio ) publico ad universorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, isq. ad vocatum omnium presbyterorum in ratione Saxonie fideliter agat, superq. vicarios & Scabinos, quos sub se ha-*

schabet, diligenter inquireat & animaduertat, ita ut officia sua  
sedulo peragantur. Idem Comitibus inculcant capitula  
Carol & Ludovici, ex quibus quod habetur L. 2. c. 6.  
adscribamus: Vobis vero Comitibus dicimus, vosq; compone-  
mus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, ut reve-  
reniam & honorem sancte Dei Ecclesie exhibeat is & cum Epi-  
scopus vestris concorditer vivatis, & eis adiutorium ad suum mi-  
nisterium per agendum praebeat is, & ut vos ipsi in ministeriis ve-  
stris pacem & iustitiam faciat is, & quae nostra autoritas publice fieri  
decernit, in vestris ministeriis studiose persicere studeatis. Pro-  
inde monemus vestram fidelitatem, ut memores sitis fidei nobis  
promissa, & in parte ministerij nostri vobis commisisti, in pace se-  
& iustitia facienda vobis metipsum coram Deo & hominibus tales  
exhibeat is, ut nostri veri adiutores & populi conservatores iuste-  
dici & vocari positis. Illos quoque qui temeritate & violentia  
infurtis & latrociniis sive rapinis communem pacem populi per-  
turbare moluntur vestro studio & correctione, sicut decet, compre-  
hendere. Et si aliqua persona in aliquo vobis impedimento  
fuerit, quin ea que dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus  
illud novum fiat, ut nostrâ autoritate adiuti, ministerium vestrum  
digne adimplere possitis. Addamus etiam ex L. 4. c. 5: volu-  
mus ut Comites, qui ad custodiendam maritimam deputati sunt,  
quicunq; ex eis in suo ministerio resedet, de iustitia facienda se  
non excusat propter illam custodiari: sed ibi secum suos scabinos  
babeat, siibi placitum teneat & iustitiam faciat. Vid. L. 2. c.  
23. 24. L. 3. c. 30. Leg. Boioar. t. 2. Marculphi formul. 32. in Cod.  
LL. Antiq. Frid. Lindenbrogij. His Comitibus fuerunt ad-  
uncti Scabini sive assessores, & quidein ex plebe electi,  
de quibus L. 3. c. 33. capp. addit. t. 4. c. 73. 74. Legatorum seu  
Missorum officium clarè proponitur in capitulis Carol.  
& Ludov. L. 2. c. 26. his verbis: Ad hoc à nobis missi consti-  
gut, ut si quilibet Episcopus aut Comes ministerium suum propter  
quod-

quodlibet impedimentum implere non possit, ad eos recurrat: & sumeorum adiutorio ministerium suum adimpleat. Et si talis causa fuerit, qua per eorum admonitionem emendari non possit, per eos ad nostram notitiam deferatur. Et si forte Episcopus aut Comes aliquid negligentius in suo ministerio egerit, per istorum admonitionem corrigatur: & omnis populus sciat ad hoc eos esse constitutos, ut quicunque per negligentiam aut incuriam vel impossibilitatem Comitis institutiam suam acquirere non poterit, ad eos primum querelam suam posset deferre & per eorum auxilium institutiam acquirere, &c. add. c. 27. 28. & L. 3. c. 39. 87.

XVI. Licet autem nec ea estate Comitatū dignitas hereditaria fuerit, nihilominus tamen ferè filii Comitum non negligebantur, id quod attestatur Capitu-  
lum Caroli Calvi apud Mireum in Annal. Belgic. A. 877.  
fol. 403. quod ita habet: Si Comes de regno obierit, cuius filius nobiscum, filius noster ordines de his, qui eidem Comiti plus familiares, propinquiores fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius Comitatū, & cum Episcopo, in cuius Parochia fuerit ipse Comitatus, ipsum Comitatum prævideant, sive regant, usque dum nobis renuncietur, ut filium illius, qui nobiscum erit, de honoribus illius honoremus &c. Vid. Christoph. Besoldum thes-  
pract. verb. Graff.

XVII. Comites porro alij Marcgraven dicti (à voce March. limitem vel fines notante, vid. Lindenbrog. glossar. voc. Marcha) qui finibus præfecti incursionibus hostiū resistebant & simul ibi jus dicebant. Alij Landgrāven / Comites provincias. Alij Pallensgraven / Palatij Cæsaris præfecti, de quibus Hinc marus: Comes Palati de omnibus secularibus causis vel iudiciis suscipiendis curam instanter habebat; ut nec seculares prius Dominum Regem absq; eius consultu inquietare necesse haberent, quoisque ille prævideret, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet. Et Egin-

Eginhardus in vita Caroli M: si Comes Palatiū litem aliquam esse diceret, quae sine eius iussu definiri non poterat; statim litigantes introducere iussit, & velut pro tribunali sedens, lite cognitā, sententiam dixit. Alij Burggraben/ arcī cui-dam præ feci: ita sunt verba Hugonis Grotii de ant. reip. Batav. c. 5. ) VVasseniorum proavi ante Didericum Burggravij fuere, hoc est iudices arcis eius, quae in locum urbis Lugduni Batavorum à Normannis, ut credibile est, diruti, suc-cesserat, simulq; agri adiacentis: quibus et ium rectigalia, velut amnis Rheni custodibus, solvabantur, que in hunc diem penes po-steros eorum manent.

XIX. Ex his Ducum Comitumque originem & usque ad illa tempora officium satis constare opinor. Cum autem adducti Historici tradant, Ducatus & comitatū in Germaniā ad Romanorum imitationem institutos, non ad stipulari possumus Cluverio L. 1. c. 48. ant. Germ. ita scribenti: Romani olim, ut multa alia à Germanis mutuati, sicut quoque milite titulos in suam disciplinam adsumserunt, prefectos provinciarum ducum Comitumq; adficien-tes vocabulis.

XIX. Etsi verò Carolus Magnus aboleverit Du-catus, posteri tamen ejus, rebus regni attenuatis, in Germaniā, Galliā & Italiā complures iterum institue-runt. Et quidem ultimis Carolinorum temporibus Germania, ut eam distinxeris à terris quas Venedi in-habitārunt, quinque habuit Ducatus, Baioaricum, Sue-vicum, Francicum, Lotharingicum, & Saxonicum. Quorum potentia tandem ex-fuit, ut Duces hi de pro-vincijs sibi proprio jure attribuendis cogitārint, liberè Regum instar regnaturi. Cum enim tempore Ludovi-ci IV, ultimi Regis ex Carolinā stirpe, Hungari in Ger-maniam irruerent, scribit Luitprandus L. 2. c. 6. nennul-

Ios Ducum Hungarioris non solum pugnam non intulisse, sed ut proximi  
caderent anhelasse, ut dum proximi caderent, soli ipſi liberi  
rius regnarent. Et Sigebertus A. 914. tradit, contra Con-  
radum Regem potentiores regni Principes rebellionem meditatos  
esse, scilicet Arnoldum de Baioriā, Burchardum de Sueviā, E-  
verhardum de Franciā, Gilbertum de Lotharingiā, & horum  
omnium praeclentiorē Henricum Ducem de Saxonīa & Thū-  
ringiā. Add. d. L. 2. Luitpr. c. 7. Vnde satis liquet hanc in-  
cūtam tum incubuisse Duces, ut se subjectioni subtra-  
herent & instar Regum provincijs praeſent. Primus  
Ducum maximē crevit Otto Dux Saxonīa, qui etiam  
propterea defuncto Ludovico electus in Regem, quam  
dignitatem licet recusaverit, & ejus consilio Conradus  
Dux Francorum in Regem fuerit electus, testatur tamen  
VVitichindus. L. i. penes Ottōnem ſemper & ubiqꝫ ſummum  
viguiffe imperium.

XX. Suscipiens Conradus imperium rursus in ordine  
redigere Duces intendit & invicem regno potestatem,  
quam ſibi arrogare coeperant, ſupprimere. Ex prelēſe hoc  
de Saxonīa Duce conſimmat VVitichindus L. i. his ver-  
bis: Igitur patre patrie & magno Duce Ottone defuncto, illiſtri  
& magnifico filio Henrico totius Saxonia ipſe erigit Ducatum.  
Rex autē Conradus cum ſape expertus eſſet virtutem novi Ducis,  
veritus eſt eſt radere omnem potestatem patris. Quo factum eſt,  
ut indignationem incurreret totius exercitus Saxonici. Fidele ta-  
men pro laude & gloriā optimi Duci plurā locutus, promiſit ſe  
maiora ſibi daturum, & honore magno glorificaturum. Saxones  
verò huincemodi ſimulationibus non attendebant, ſed ſuadebant  
Duci ſuo, ut ſe honore paterno eum nollet ſponte honorare, Rege  
invito que vellet obtinere poſſet. Rex autem videns vultum Sa-  
xonum erga ſe ſolito aſteriorē, nec poſſe publico bello coruia  
Ducem conterere, ſuppetente illi fortium militū manu, exerceit ſu-  
quoque

quoq; innumerā multitudine, egi, ut quoquomodo interficerentur  
dolo, &c. Verū cum Conradus Henrici potestatem  
nullo modo infingere posset, periculosa tamen recip.  
ejus p̄t̄egx̄ videret, optimum existimans remedium  
huius malo afferri posse, si ipse Henricus Rex constituere-  
tur, suavit fratri Etheardo, ut eo modo Francorum re-  
gno consuleret, ut pluribus refert. VVitichindus. Re&ē  
mirum docet Aristot. 5. pol. 3. Melius esse ab initio  
providere, ne istiusmodi siant in regno eius, quam post existentibus  
illis remedium querere.

XXI. Ergo primus, eodem VVitichindo dicente,  
Henricus liber à potestate regnavit in Saxoniā. Cui conso-  
mant quæ de statu Germaniæ sub Impp. Saxon. & ijs qui  
hos secuti sunt scribit Rhenanus L. II: Primus sub vete-  
ribus Franci liber à potestate Dux fuit in Saxoniā Henricus  
Ottonis pater, qui postea Germanico regno præfuit, cœu diximus.  
Idq; eam ob causam ut Scalvinos arceret: diligentius autem cu-  
stoduntur quæ propria sunt. Nec hoc jus cuiquam aliorum præ-  
sidum concessum est. At sub Saxonibus libertatem naēti sunt non  
solum provinciarum gubernatores, sed & civitates ipsa. Nam ut  
queq; plus bonorum, quæ ad regnum pertinebant, habuit, ita ma-  
jorius & facilius ad libertatem pervenit, &c.

XXII. Hac itaque ratione illa Comitum Ducum  
que potestas, quæ olim temporalis & ministra erat, par-  
cum vi, partim emtione, partim profusa Regum libera-  
litate omnino mutata, ita ut provincijs præfint jam Du-  
ces, non ut gubernatores, sed penè ut Reges, collatis  
in eos ijs juribus, quæ solius olim imperij erant atq; Im-  
peratoris. Quo enim tempore Duces administratores &  
rectores tantum fuere provinciarum, non competebat  
ipsis autoritate propriâ jus vita & necis, non leges fe-  
rendi, non magistratus constituendi, non iudicandi

C

cor-

conventus, non fœdere faciendi potestas; minora quoque, ut vocant, regalia, sub quibus vias publicas, flumina navigabilia, vestigalia comprehendunt; imò omnis generis redditus provinciarum non ad rectores illos provinciarum, sed ad fiscum regium pertinebant. Isthæc omnia præfectis illis autem regnorum jure in provincijs concessa sunt, salvâ tamen temper imperatoriam superioritatem habeant, nec majestatem propriè eos habere dici potest; vocari verò solet eorum potestas *jus superioritatis*, Landes Fürstliche Lbrigkeit / Landes Hohheit und Herrlichkeit.

XXII. Ex his appareat quantum potestatis, virium & opum Imperatori decesserit, & quomodo respublica regiam faciem paulatim mutaverit. Anteà provinciæ pleraque pleno jure totius imperij erant: post illæ ad gubernatores eorum venere, & major subditorum facta potentia ipsius Regis viribus. Anteà fiscus regius satis opulentus erat; postquam autem fiscalina bona ad alios translata, publica regni egestas secura, & nervus rerum gerendarum regibus præcisus est. Quo ipso nomine potuit non prisca reip. forma corrupti, imò in multas partes dividi: multis scilicet ad eam potentiam pervenientibus, ut, cum in ordinem à Cæsaribus cogi amplius non possent, domi regna nova sibi suisque condarent. Quām verò periculosem sit omni civitati, si in eâ sint, qui viribus, qui nobilitate, qui divitijs maximè excellant, præclarè docet civilis prudentia unicus doctor 4. Polit. 11. Hinc Idem 3. Polit. 15. monet, regem oportere vires habere tales, ut unoquoque separatim & simul pluribus potentior sit, populo tamen sit impotentior.

Quod

Quod fortè perpendens Conradus II regalia quæ Ducibus concesserat, ipsis post admere conatus est, uti tradit. Autor chronicus Colonensis.

XXIV. Iste verò Ducum potentiae maximum incrementum indubie addidit, quod plures ducatus vel comitatū minus circumspetā regum liberalitate in unum corpus concreverint: quodq; eorundem regum concessu Ducatus & Comitatus ad heredes tandem transierint, quod quātate factum sit haud licet definire. Pertinere huc videntur, quæ habentur in consuetudinibus feudalibus L. i. tit. i: *Antiquissimo tempore sic erat in dominorum potestate connexum, ut quando vellent possent auferre rem in feudum à se datam: postea verò eò ventum, ut per annum tantum firmitatem haberent, deinde statutum est, ut usq; ad vitam fidelis produceretur: sed cum hoc jure successionis ad filios non pertineret: sic progressum est, ut ad filios deveniret: in quem sc. dominus hoc vellet beneficium confirmare: quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes aequaliter filios pertineat. Cum vero Conradus Romanam proficeretur, petitum est à fidelibus, qui in ejus erant servitio, ut lege ab eo promulgata hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, & ut frater fratri sine legitimo herede defuncto, vel filius in beneficio, quod patris fuit, succedat, &c.*

XXV. Porro Ottonum temporibus Ducales & Comitum potestates Episcopis & Abbatibus cœperunt attribui, novo & hactenus inauditō exemplo. Adeoq; ex eo tempore duplex cœpit ordo Ducum: secularium scilicet & Ecclesiasticorum. Primus autem Bruno Episcopus Colonensis constitutus, à fratre Ottone M. Ducatum Lotharingiæ accepit. Quā de re ita VVitichindus: Brunonem Pontificis summī ac Duci magni vidimus officium gerentem; ac ne quis cum culpabilem super hoc dixerit, cum Samuclum

sanc*tum* & alios plures sacerdotes pariter legamus & judices.  
Idem notat Autor Chronicus Belgici: Ante hac su*a*  
(Brunonis) tempora Archiepiscopi Coloniensis non iudicij  
gladii temporalis sed tantummodo iurisdictionis us*u* baculo pasto-  
ralis. Ut & Theodoricus de Niem vetus historicus: Pen*e*  
omnibus Cathedralibus Ecclesias in Itali*a*, Gall*a*, Germania*a*,  
Burgundia*a* & Lotharingia*a* constitutis, multi ac civitates, castra,  
oppida, villas & multa alia dominia temporalia & iurisdictiones  
donavit (loquitur de Ottone I.) & omnibus illis Eccl*is* suis  
propria insignia perpetuo depuravit. Archiepiscopos quoque &  
Episcopos Ducatus & Comitatibus & Baronius communivit,  
quibus nobiles & potentes vasculos subiecit, ut semper essent ad  
resistendum etiam manu forti paganis & hereticis in opportuno  
tempore fortiores.

XXVI. Atque hoc modo Ecclesiastica & secula-  
ris potestas in un*a* person*a* jungi cœpit, Episcopis, per-  
inde ac Principibus secularibus, provincijs quibus-  
dam investitis. Quo ipso potentia illorum nimium  
quantum crevit, ad religionis opinionem in popu-  
lo rudi ac pio tantis viribus & armis accendentibus.  
Enimvero multis securis temporibus illi Ecclesiastici  
Duces potentia*a* præalijs eminuerunt: neq*ue* ipsi Cæsares  
alios magis metuendos habuerunt. Vnum tamen ad  
compescendam tantam potentiam frenum superfuit  
Cæsaribus; libera nempe omnium Episcopatum &  
Abbatiarum collatio, & quidem e*o* liberior, quod in  
cœlibe vit*a* nulla illi Principum ordinis legitima sobo-  
les nasceretur, cuius in secularibus omnino haben-  
da fuit ratione; maximè posteaquam hi hereditario jure  
vasta illa Imperij feuda cœperunt possidere. Excusum  
autem & hoc frenum est Cæsarum manibus Gregorij  
sept*u*.

Septimi & successorum ejus sacrâ tyrannide: quo ipso  
Cæsares diuidium Imperij perdidisse prudenter & verè  
notavit Onuphrius Panvinius in vita Gregorij septimi.

XXVII. Occasionem quoq; Ducibus ad solvendâ  
regiæ autoritatis vincula dedit immatura Henrici IV.  
imperium adeuntis ætas, uti observavit Albertus Abbas  
Stadensis: Gubernaculo, ajens, regni mulier cum puerò magno  
imperij præfuit detrimento. Indignantes enim Principes aut mu-  
liebri potestate constringi aut infantuli ditione regi, primò qui-  
dem conjuncti vindicarunt se in pris' inam libertatem, ut non ser-  
virent: deinde contentionem moverunt inter se, quis eorum vi-  
deretur esse major: postremò armis audacter sumis regem &  
dominum suum deponere moliri sunt. Laboravit Henricus  
quidem recuperare pereuntem dignitatem, sed neque  
satis omnia prudenter egisse dicitur, & intervenere non  
nulla fatali quâdam adversitate, quæ penitus ipsum tan-  
dem regno atque omni planè autoritate exuerunt. Nec  
vero à prudentibus laudatur, quod ab Episcopis in or-  
dinem redigendis reparandæ dignitatis initia voluerit  
facere. Quin nec id prudenter inceptum, quod cum Sa-  
xonicorum Principum potentiam, utpote ipsi præcipue  
suspectam, imminutam vellet; militari licentia irritari  
eos ante passus, mox uno illos impetu ad obsequium  
cogere; conatus sit: cù tamen nec rebus satis firmis esset;  
& præterea jam tum, cum alios Principes, tum in primis  
Episcopos multis injurijs offendisset, adeoq; in impieta-  
ris ac injusticiæ opinionem se conjectisset: quibus regiam  
vim affectanti nihil est perniciosius. Sapientissime scili-  
cer Aristoteles jubet: Si alicuius potentia videatur dissolven-  
da, erit hoc sensim ac paulatim faciendum, nec universa simul au-  
ferenda. Præterea abstinentendum omni injuria.

XXVIII. Quanquam verò mirum in modum  
Ducum Comitumque potentia creverit, nonnullorum  
tamen sensim iterum est imminuta. Ejus autem rei  
non unam licet causam observare: primam putamus ne-  
glectum æratij, & quod vitam luxuriosè & in socordiâ  
duxerint, prodigalitatis vitio quoque laborârint.  
Cum enim divitiæ sint instrumentum reipubl. *Aristot. 1.*  
*Polit. 8.* necesse est, si illæ ærario inferri non carentur,  
& tamen luxuriosè vivatur, optimo conservandæ po-  
tentiae organo deficiente, ipsam potentiam defretere.  
Imminuit deinde eandem, quod bella intempestiva &  
contentiones inter se moverint, sicuti testatur Alber-  
tus citatis verbis. Præterea maximè illis obfuit mul-  
torum bonorum feudaliū in unum aliquem collatio-  
quā subditos quosdam potentes & divitiis excellere suā  
in republ. effecerunt, quod quām noxiū sit jam antè  
ex Aristot. 4. *Polit. 11.* monuimus, ubi, istos οὐβείσας καὶ  
μεγάλυπονηγές μᾶλλον fieri, neque imperium ferre posse  
nec scire eleganter dicit. Hinc conspirationes nobilium  
in Principes; eandem fortunam Principibus ex nobil-  
ium potentia experientibus, quā reges ex principum  
potentia consecuti sunt.

XXIX. Plurimum porro Ducum Comitumque  
vires exhaustit Ducatum & Comitatum in minutis  
particulas pro multitudine, qui illustribus familijs na-  
ti erant, divisio. Hac enim ratione bona, quæ unus  
possidebat, & maxima, quæ apud unum erat, potentia  
pluribus communicata non potuit non attenuari.  
Quod procul dubio attendens Fridericus Imp. prohibi-  
buit Ducatum, Marchiam, Comitatum dividi, ut ha-  
betur in *L. 2. scud. tit. 33. §. 1.* Hinc pulcrè Oldradus de  
Ponte

Ponte ICtus (qui floruit Anno c. 1000-1100.) conf. 237.  
n. 7. Avorum nostrorum memoriam feuda dignitatem apud unum  
ex familiâ, præsertim seniorem, semper sarta testâ conservata  
sunt; quia prudenter considerarunt, nihil esse tam magnum, quod  
divisione parvum non fiat. Vid. etiam Andreas Gaius  
L. 2. obs. pract. 153. n. 2.

XXX. Multum denique potestatis Ducibus atque  
Comitibus decessit, cum seculo præter propter duode-  
cimo urbes, quæ plerisque illis omnino ratione juris-  
dictionis & onerum fiscalium subjectæ fuere, in liber-  
tatem majorem paulatim evectæ sunt. Auctis enim  
oppidanorum viribus & divitijs, atque inde ad liberta-  
tem, ut fieri solet, adspirantibus, ipsi Imperatores in  
id incubuere, tanquam sublevandæ regiæ dignitati  
admodum proficuum, ut urbes potentiores Episco-  
porum Ducum & Comitum imperio subducerentur.  
Præterea crescente magis magisque urbium opulentia,  
Ducum verò & Comitum potentia decrescente, urbes  
imperium eorum detrectare cœperunt: unde levissime  
ære à Ducibus & Comitibus suis, qui illos in officio re-  
tinere non poterant, egregias immunitates redemerunt,  
partim etiam vi expellerunt. Atque hinc factum, ut  
plurimæ urbes vel omnino, ut Imperiales, vel ex parte,  
ut alias immunitatibus gaudentes, imperio Ducum  
Comitumque exemptæ sint, & reliquæ quoque urbes  
omnes liberiore republicâ nunc vivant. Id quod sanè  
Episcoporum Ducum atque Comitum potestatem ma-  
xime fregit. Accedit, quod & Comites se Ducum, qui-  
bus subjecti fuere, gubernationi eadem ferè ratione  
subtraxerint: atq; adeò Comitum quidem potentia ali-  
quo modo aucta, Ducum verò magis imminuta.

XXXI.

XXXI. Licet vero has ob causas potentia Ducum  
multum decesserit, satis tamen magna ea semper mansit,  
non solùm respectu provinciarum subjectarum, quas  
eodem modo eademque ferè potestate, quā totum re-  
gaum Imp. regit, regunt, ut dictum th. 22. verū etiam  
respectu totius imperij, cui una cum Imperatore divisis  
majestatis iuribus præsunt.

XXXII. Constat quidem jam tempore Caroli Magni  
Duces comitesque Provinciarum Proceres etiam regni  
fuisse, & licet totus populus ad curam reip. admisius  
fuerit, atque ius suffragij habuerit, illis tamen plus au-  
toritatis tributum. Liquet hoc ex ijs, quæ ex Adelhardi  
(propinquij Caroli Magni) libello de ordine Palatij  
refert Hincmarus Epist. 3. c. 29: *Confuetudo tunc tempore*  
*trita erat ut non sepius sed bis in anno placita dubi tenerentur;*  
*enun quando ordinabat status totius regni ad anni vertentias*  
*spatiū, quod ordinatum nullus eventus rerum nisi summa ne-*  
*cēsitas, qua similiter toti regno incumbebat, mutabat. In quo*  
*placito generalis universorum Majorum tam clericorum quam*  
*laicorum conveniebat. Seniores propter consilium ordinandum,*  
*Minores propter idem consilium suspiciendum & interdum pa-*  
*riter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis in-*  
*selectu vel sententia confirmandum. Quod autem per Se-*  
*niores intelligat Primores & per Minores plebem claret ex*  
*ijs, quæ habentur c. 35. ejusd. ep. ubi diserte scribitur,*  
*distinctis locis in Comitiis istis Seniores & multitudinem refe-*  
*disse. Fuisse vero inter primores illos Dukes & Comites*  
*videre est ex alijs monumentis. Sic apud Theganum*  
*Chorepiscopum Trevirensim lib. de gest. Ludov. Imp. c. 6. de*  
*Carolo Magno legitur. Imp. cum intellectisset, appropinquau-*  
*re sibi diem obitus sui, vocavit filium Ludovicum ad se cum omniis*

exerci-

exercitu, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, comitibus loco positis,  
habuit grande colloquium cum eis Aquisgrani in palatio pacifice  
& honeste admonens, ut fidem erga filium ostenderent, interro-  
gans omnes a maximo usq; ad minimum si eis placuisse, ut nomen  
juum, id est, Imperatoris titulum filio suo Ludovico tradidisset, illi  
omnes responderunt &c. Initium Legum Alemannicarum  
ita se habet: *Lex Alemannicarum*, quæ temporibus Lotharij  
Regis cum Principibus suis id est 33. Episcopis. 34. Ducibus, 72.  
Comitibus & reliquo populo constituta est.

XXXIII. Verum mutata atque aucta Ducum Co-  
mitumque potestate, majorum quoque eorum autorita-  
tem in suffragijs de totius imperij rebus ferendis factam  
esse, & quamvis populus non omnino exclusus fuerit,  
ejus tamen autoritatem admodum exiguum extitisse  
omnino dicendum videtur, præsertim plerisque urb-  
ibus Ducum Comitumq; liberae potestati ab Imp. sub-  
jectis; unde plurimis urbibus in libertatem exsurgentibus,  
autoritatem etiam earundem in suffragijs ferendis  
iterum creuisse sequitur.

XXXIV. Cæterum insignis quoad Ducum, atq;  
Comitum, ut & totius populi jura, quæ respectu totius  
imperij habuere, mutatio contigit, cum electio Regis,  
quæ ab antiquis temporibus penes omnes Episcopos,  
Duces, Comites ac universum populum erat, ad septem  
regni Proceres delata est, qui paulatim alias etiam præ-  
rogativas præ reliquis Ducibus consecuti sunt: de cuius  
mutationis primordio maximum inter viros doctos est  
dissidium.

XXXV. Hoc quidem certum jam antiquitus ob-  
tinuisse, ut quidam Primorum ea haberent munera,  
quæ hodie etiam Electoribus adscribuntur. Ita Apocri-

D

fiary

*siarj (alias Archicancellarii) s̄epius facit mentionem Hincmarus & alij, vid. Lehman. L. 2. c. 7. De Archicamerario in Annal. Franc. A. 828: Ludovicus Imp. Bernhardum Comitem Parcinonae Camerarium in Palatio suo constituit. Mareschal-cus comes stabuli dicitur Historicis, Regino L. 2. Carolus M. Burchardum Comitem stabuli, quem corruptè Constabulum appellamus, cum classe misit in Corsicam, ut eam à Mauris defen-deret. Arcipincernæ munus itidem invenire est in Annal. Franc. A. 781: Electi ac directi sunt in legationem ad Basilenem in Baioariam de parte Regis Rudolphus Diaconus, atq; Eberhar-dus magister Pincernarum. Archidapifer Eginhardo in vi-ta Caroli M. vocatur *præpositus regia mensa*.*

XXXVI. Verūm licet fortè hi ministeriales regij (ut appellantur ab Hincmaro) honoratiore aliquo loco fuerint, electio tamen Imperatorum ipsis solis non competit. A primā enim Imperij Germanici constitu-tione semper fuit observatum, ut omnes Principes & populus Imperatorem eligerent. De Carolo Magno ita Eginhardus: *Carolus fratre defuncto consensu omnium Francorum Rex constituitur.* De ejus filio Thegani Cho-repiscopi verba idem testantur supra th. 32. allata. De Conrado VVitichindus Lib. I: *Regi Ludovico non erat filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum quarebat Ottoni diadema imponere regni.* Ipse verò quasi jam gravior re-ensabat imperij onus, ejus tamen consultu Conradus, quondam Dux Francorum, unctionis in Regem. De Henrico itidem VVi-tichindus L. I: Everhardus (frater Conradi) congregatis Principibus & natu majoribus exercitus Francorum in loco qui dicitur Fridisleri designavit eum Regem eoram omni populo Francorum atque Saxonum. De Ottone I. Idem: *Defuncto patre patria & Regum maximo optimo Henrico, omnis populus* FRANCO-

Francorum atque Saxonum iam olim designatum Regem à patre  
filium eius Ottone m̄ sibi eligit Regem. Eodem modo electus  
fuit Otto II. teste Regione A. 961: Rex Otto I. in Italiano  
ire disponens, maximam suorum fidelium multititudinem VVor-  
matia coadunavit, ubi consensu & unanimitate regni Proce-  
rum totiusq; populi filius eius Otto Rex eligitur. Sic & Otto  
II. A. 983. Veronæ placitum habuit (ut scribit Dithma-  
rus) & filius ejus Otto III. ab omnibus in Dominum  
eligeretur.

XXXVII. Hujus Ottonis III. tempore ad septem  
tantū Proceres devenisse jus eligendi plerorumque  
est sententia. Sed quod minus isti subscribi possit, obstant  
verissima & certa historiarū monumenta etiam post ejus  
ætatem non à solis septem electionem peractam aperte  
tradentia. Id de Ottonis III. successore Henrico II. testa-  
tur Dithmarus L. 4. & 5. Sequentis Imp. Conradi II.  
electionem fusè narrat VVippo his verbis: *Confidere*  
*Principes, populus frequenterissimus adstabat, Archiepiscopus Mo-*  
*guntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à*  
*populo quid sibi videretur, abundantiter, voce hilari laudans*  
*& elegit majoris etatis Cunonem suum in Dominum & Regem*  
*atque rectorem & defensorem patriæ. Hanc sententiam ceteri*  
*Archiepiscopi & reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter se-*  
*quebantur, tunc singuli de singulis regnis eadē verba electionis*  
*sapientissime repetebant. Fit clamor populi, omnes unanimiter in*  
*Regis electione Principibus consentiebant, in illo persistebant,*  
*ipsum cunctis dominantibus nihil hesitando proposuerunt. Idem*  
*de Henrico III. IV. & V. historicā fide firmat Lehman.*  
*L. 5. c. 17.*

XXXIX. De Lothario II. Otto Frising. L. 1. de  
gest. Frider. c. 16. scribit: *Igitur Albertus, nam id iuris,*

dum regnum vacat, Moguntini Archiepiscopi ab antiquioribus  
esse traditur, principes regni in ipsa civitate Moguntinâ tempore  
aut summi convocat, malorumq; à Duce Friderico sibi illatorum  
haud immemor, cum predictus Dux ad regnum à multis expo-  
siceretur, ipse Lotharium Ducem Saxonum in Regem à cunctis qui  
aderant Principibus eligi persusset. Idem c. 22. de Conra-  
do III. Defuncto Imp. Lothario, ac in monasterio Lutre, quod  
in eius proprio fundo situm est, humato, principes regni apud  
Gallie oppidum Corfluentiam, ubi Mosella Rhenum influit, con-  
veniunt, & de eligendo Principe consilium ineunt. Igitur Con-  
radus Friderici Duci frater, ab omnibus qui aderant, exposicur,  
ad regnumq; levatus in palatio Aquis coronatur. De Friderico  
I. L. 2, c. 1: Decedente Conrado, in oppido Franconie fuit de tam  
immensa transalpina regni latitudine universum, mirum dictu,  
principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tan-  
quam in unum corpus adunari potuit. Vbi cum de eligendo  
Principe primates consultarent, nam id iuris Romani imperij  
apex, videlicet non per sanguinis generationem descendere, sed  
per Principum electionem Reges creare, sibi tanquam ex singulari  
vendicat prærogativâ, tandem ab omniis Fridericus Svevo-  
rum Dux, Friderici Duci filius, petitur, euictorumq; favore in  
Regem sublimatur. Eadem fuit ratio electionis Henrici VI.  
Philippi III. Ottonis IV. Friderici II. vid. Lehman. d.l.  
& Onuphr. Panvinium l. de committis Imper.

X X X I X. Notandâ hic sunt cumprimis quæ  
xestate Friderici II. (quâ etiam vixit) scribit Albertus  
Abbas Stadensis in Chronico: Papa Gregorius insolentias  
Imperatoris (Friderici II.) contra Ecclesiam metuens, Princeps super electione ulterius sollicitavit, sed nihil profecit, quia  
quidam Principum ei rescripscrunt, non esse sui iuris Imperato-  
rem substituere, sed tamen electum à Principibus coronare. E-  
lectio

lectio enim ad istos dinoscitur pertinere. Ex prataxatione  
Principum & consensu eligunt Imperatorem, Trevirensis, Mo-  
guntinus & Colontensis. Palatinus elegit, quia Dapifer est,  
Dux Saxonia quia Marscaleus, & Marggravius de Branden-  
burg, quia Camerarius, Rex Boemia, qui pincerna est, non eli-  
git, quia non est Teutonicus. Gemina sunt his verba Spe-  
culi Saxonici: An des Keysers Wahl/ sol der erste seyn der  
Bischoff von Meynck / der ander der Bischoff von Trier /  
vnd der dritte der Bischoff von Cöln; vnter den Leyhenfür-  
sten / so ist der erste an der Wahl der Pfalzgraf beym Rhein  
des Reichs Eruchs / der ander der Herzog von Sachsen  
des Reichs Marschalck / der dritte der Marggraf von Brans-  
denburg / des Reichs Kämmerer / der vierde der Schenke des  
Reichs / das ist der König von Böhmen / der hat keine Wahl/  
darumb das er nicht deutsch ist.

X L. Ex his de Electionibus Imperatorum allatis  
testimonijs de septem Electorum origine hoc statuen-  
dum videtur, quod jus eligendi omnibus, etiam plebi,  
competens primū sibi solis Principes attribuerint  
(vid. th. 38.) pōst commodioris electionis gratiā à toto  
Principum conventu quibusdam Primitibus demanda-  
tum, ut illi præconsultarent, quis eligendus, cui si toti  
etiam conventui ita visum fuerit, regnum delatum,  
quemadmodū colligere est ex electione Friderici I. ex  
Ottone Frising. th. 38. descriptā, & ex verbis Alberti  
Abb. Stad. th. præced. adductis. Cum autē procul dubio  
qui munera ista regia obière alijs Principibus præcellue-  
rint, hinc factum ut jus illud *ωρθελέας* de eligendo Im-  
peratore ad hos devenerit; qui tandem, crescente sensim  
aliorū autoritate, sibi solis omne eligendi jus, non con-  
vocatis omnibus Principibus, arrogarunt; atq; ita con-

suetudine post Friderici II. tempora plerumque obser-  
vatum, usque dum expressâ sanctione illis Septemviris  
hoc ius cum plurimis alijs præminentibus à Carolo IV.  
tributum.

XLI. Hæc de Ducum Comitumque origine, in-  
cremento & variè mutatâ potentia atque autoritate  
jam notâsse sufficiat: hoc tantum addito, quod, pote-  
state Ducum comitumque mirum in modum, uti supe-  
rius expositum, crescente, eò ferè tandem res deve-  
rit, ut vix quicquam superfuerit, quo omnia unius regni  
membra continerentur, præter Turicæ potentiaz &  
proscriptionis metum: donec Friderico III. & Maximi-  
lianio Imperatoribus de arcuus conjungendis & cohi-  
bendis Germaniæ ordinibus sedulò actum fuit. Quem  
in finem in Circulos Germania divisa est, & supremum  
Cameræ, quod vocatur, judicium institutum. Ea in-  
teriorum fuit plerorumq; Ducum comitumque, etiam sin-  
gulos si species, potentia atq; in suos subditos tam æquum  
iustumq; imperium, ut aliquot seculis exteri quidem  
populi contra Germaniam nihil tentare sint ausi; ipsi  
subditi autem felicissime sub illorum alijs vixerint. Et  
verò utinam liceat eum in modum nobis  
diu vivere!

---

Επιθετικά:

I. Aristoteles i. Eth.i. Politicam dicit sci-  
entiam maximè principem & δέξιες οὐκενή.  
Idem i. Met. i. Sapientiam maximè princi-  
pem esse & aliis præcipere docet. Vitrumque  
verum.

II. Re.

**II.** Regnum non est simpliciter optimus  
reipubl. status.

**III.** Non convenit regnum omni populo.

**IV.** Regnum non convenit optimo populo.

**V.** Regnum πανβασικὸν rariſſime uti-  
le eſt.

**VI.** Reges qui ſponte (i.e. non ex praſcri-  
ptā à ſubditis lege) acta ſua nolunt eſſe rata, niſi  
aut ab optimatibus aut populo probentur, non  
ſemper partiuntur ſuam cum optimatibus aut  
populo potestatem. Si namq; hunc in modum  
ſententia Regis reſcindatur, non optimates &  
populus eam reſcindunt, ſed ipſe Rex quod ſub  
conditione voluit, eā non existente, non amplius  
ſentit.


**VII.** Non ſemper obſtat ſummo imperio,  
promittere aliqua ſubditis ad imperii rationem  
pertinentia, licet ad ea ſine promiſſo non te-  
neatur.

**VIII.** Non recte diuiditur maiestas in  
realem & personalem.

**IX.** Non dari remp. mixtam absurdē ne-  
gat Bodinus.

**X. Quæ**

X. Quæ aequalitas in societatibus obser-  
vetur rectissimè tradit Aristoteles 7. Eudem.  
io his disertis verbis: in societatibus interdū  
æquale numero, interdum æquale propor-  
tione participant: si æquale numero argen-  
tum illatum fuerit, secundùm æquale nu-  
mero sit distributio; sin vero numero non  
æquale, secundùm æquale proportione.  
Quid autem ipsi sit æquale numero (ἰσοτι-  
μω) & quid æquale proportione (ἴσηλόγω) ipse  
explicat s. Pol. i. Duplex, inquiens, est æqua-  
le, unum numero, alterum κατ' αξίαν æqua-  
le numero dico, quod multitudine aut ma-  
gnitudine idem est & æquale; æquale verò  
κατ' αξίαν, quod λόγω sive properti-  
one. &c.



G 3320. 8°

(X.260.9951)

VD 17

216



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

EXERCITATIO

DE  
DVCIBVS ET  
COMITIBVS IMPE-  
RII GERMANICI,

QVAM  
Deo annuente,

PRAESIDE

Viro Clarissimo, Excellentissimo, atq;  
Experientissimo,

HERMANNO CONRINGIO  
PHILOS. AC MEDICINÆ D.

HIVISQUE PROFESSORE  
PUBLICO,

Præceptore ac Fautore meo pluri-  
mum observando.

Publicè disputandam propono  
d. v. July.

GEORGIVS ADAMVS Struve/  
MAGDEBVRG.

os) o (so

HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI.

Anno dñi MDCXLIII.

